

Albrecht Joachim Krakevitz von

**Programma, Qvo Pro-Rector Academiæ Rostochiensis Albertus Joachimus von  
Krakevitz/ S. S: Theol. Doctor & Prof. P. ... Festum Spiritus Sti. Civibus  
Academicis condigne celebrandum indicat ... Hocce gratissimum fore ifficium  
Spiritui Sancto tempore Pentecostali præstandum**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingii, [1716?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003520421>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

---

1716. Pfingsten.

~~A-1258~~ <sup>146.</sup>

J. 1716.

PROGRAMMA,  
QVO  
PRO-RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS  
**ALBERTUS JOACHI-  
MUS von Kraeßvitz/**

S. S Theol. Doctor & Prof. P. Serenissimi Ducis Mecklenb.  
Regnantis Consil. Eccl. & per Distr. Mecklenb. Superint.  
Facult. Theol. Senior ejusdemque  
h. t. DECANUS.

FESTUM  
**SPIRITUS STI.**

CIVIBUS ACADEMICIS  
condigne celebrandum indicat

Eosdemque

Ut Filium DEI ad exemplum Spiritu  
glorificare studeant,

serio hortatur,

Certus,

Hocce gratissimum fore officium Spiritui Sancti  
tempore Pentecostali præstandum.



ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

N. 76

M. 1256

# Niversæ Scripturæ



Canonicæ scopum esse , ut credamus Iesum esse Christum illum Filium Dei , & ut credentes vitam habemus per nomen ejus : Johannes exprefse testatur C. XX. 31. Nemo itaque mirabitur , qvod hodie qualicunque hac mea Scriptura , nomen illud glorificare intendam , quod omnibus mortalibus non minus in venerationem

quam solatium est propositum . Innumera qvidem prostant argumenta hoc ipsum evadentia , ast in tanta illorum copia unicum illud feligere placuit , quod ab exemplo Spiritus Sancti peti potest . Qvodsi enim ipse Spiritus , cuius Festum hodiè celebramus , actionibus suis Pentecostalibus Iesum Christum illum Filium Dei glorificat , qvidni nostrum foret , ut verbis & factis illius eveneremus gloriam , per quem nos salutis æternæ reddimur participes . Spiritum S. se glorificaturum esse , prædixerat olim Christus Joh. XVI. 14. Ille , inqviens , sc. Spiritus veritatis , tercia Deitatis persona , me glorificabit , quia de meo accipiet & vobis renunciabit . Varia est Filii DEI gloria , quam nemo mortaliū sufficienter asseqvi potest . Genitus est ab æterno ex essentia DEI Patris , unde Johannes admiratur gloriam ipsius tanquam unigeniti à Patre C. I. 14. Habet Spiritum Sanctum æque à se ac à Patre procedentem , quem propterea Spiritum Christi nominare consuevit sacra pagina Rom. VIII. 9. Hic autem Spiritus , cum Spiritus gloria sit juxta 1. Petr. IV. 14. gloria ipsius Filii inde omnino elucescit . In hoc Filio ab æterno nostra facta est electio Eph. I. 4. Per Eundem omnia creata sunt Joh. I. 3. omniaque cum DEO reconciliata Col I. 20. Ipse est Messias , Summus noster Pontifex , noster Propheta , noster Rex , ut omni jure meritoque Dominus gloria dicatur 1. Cor. II. 8. Si queratur , quomodo is , qui Dominus gloria est , qui infinitam à se ipso conf. Joh. V. 26. & in se ipso possidet Majestatem , eandemque vere divinam , glo-

glorificari possit à Spiritu sancto? Facilis est responsio; Fieri hoc non actuall gloriae & Majestatis collatione sed ejusdem manifesteratione, sc̄pius enim verba, quae fieri, esse, vel agere quid significant, non tam essentiam vel actum, quam ejusdem notificationem denotant. Conf. Glass. in Phil. S. p. m. 569. Unde B. Dorschein in Comm. ad h. I. rectissime Græcum δοξάον expoluit: Manifestando & doctrinam Christi profitendo. Hæc ipsa expositio nititur verbis proximè sequentibus, quando hanc adjecit rationem; quia de meo accipiet & renunciabit vobis. Dudum observarunt Theologi Orthodoxi, his verbis non unice respici ad mysteriorum Evangelicorum manifestationem, sed ipsam simul insinuari Spiritus S. à Filio processiōnem. Unde Cyrillus Alexandrinus non sine acumine præclarè scripsit: Non est alienus à substantia Filii Spiritus, sed ex ea naturaliter procedit, natura omnino idem, in persona vero propria subsistens. Cum autem venerit, ait, non loquetur à se ipso quicquam, id est, non aliam, quam ego docui disciplinam sequetur, nec alias leges feret, sed cum quasi mens mea sit, ea, quae mea sunt, revelabit. Hac à Salvatore dicuntur, non ut ministri locum habere Spiritus videatur, sed ut ejusdem cum Filio substantia confirmetur. Propterea premisi, quia etiam ventura annunciat vobis, ac si diceret, id signum vobis sit, ex mea illum substantia esse, & mentem esse quasi meam, quia futura, ut ego vobis, predicit, quod facere minimè posset, nisi in me esset: & cum per me procedat, ejusdem mecum substantia sit. Porro ita: Minime aliquius rei Spiritus indiget naturaliter, ut accipere illi, quod non habeat, opus sit; hoc enim credere impium est. Verum, quoniam consubstantialis Filio est, proceditq; per eum, omnem ejus habens virtutem, ideo ait, quia de meo accipiet. Subsistere namq; per se Spiritum credimus, & id esse verè, quod dicitur. Verum cum insit in substantia DEI & ex ea procedat, omnia, quae DEI sunt, in se ipso naturaliter habet. Non enim participatione aut habitudine, nec ut aliis à substantia DEI, sed quemadmodum floris odor qualitatem ejus naturalem olfactui offert, ita de DEO & Spiritu S. intelliges, sublimius vim exempli accipiens. Nihil igitur detrahitur Spiritui, cum accipiens à Filio creditur. Nam cum à Filio naturaliter procedat, ne proprius ejus, cum omnibus quae absolute habet, accipere dicit, quae ipsius

*ip̄fius sunt.* Frustra huic argumentationi opponitur, qvod Christus non dixerit de me, aut, à me, sed de meo accipiet; Non enim accipit Spiritus S. de eo qvod est extra Christum, sed de eo qvod est intra Christum, unde etiam de ipso Christo accipit. Neqve ab hae Veterum expositione mentes nostras alienas reddere potest, qvod Christus locutus fuerit in futuro tempore: accipiet, non autem in præterito; siquidem novimus, qvod æternitas omne complectatur tempus, adeoque futurum non excludit præteritum. Procedere enim Spiritus S. est actus æternus, quo absqve omni temporum vicissitudine à Filio & ac Patre suam accipit essentiam, in Patre & Filio semper existens, unam eandemque numero essentiam cum Patre & Filio habens. Interim haud sine causa Christo placuit verbum λαμβάνειν in futuro exprimere, qvia glorificatio adhuc erat futura, atqve sic in futurum qvoqve demonstranda, unde ratio hujus glorificationis, qvæ est processio Spiritus S. à Filio & identitas essentia cum Filio, per futuram qvoqve significanda fuit. Huc respxit B. Paulus Tarnovius, quando in Comm. suo ad h. l ita scripsit: *Causa hec referenda est ad uiram operationem Spiritus S. in discipulis; qvia enim accipiet de Filio, sive ab eo proeedit, ut à Patre, hinc est, qvod clarificat Filium, cui est, οὐαστός, quemadmodum ille ἀποκαλεῖται ἡγεμὼν καὶ χαρακτήρ ὁ ὑποστάσεως αὐτῆς* (τοιούτης) Hebr. l. 3. & qvod annunciat eadem discipulis, qua Filius habebat dicere. Videamus nunc paucis ipsum vaticinii modo expositi complementum, non qvidem qvatenus illud per omne Ni Ti se extendit tempus & ad hujus universi consummationem usqve durat, sed qvatenus in primo Christianorum Festo Pentecostali conspicuum fuit. Novimus enim, qvod sancto hocce tempore, Apostoli in unum congregati, omnes impleti fuerint Spiritu Sancto, ceperintqve loqui aliis linguis, quemadmodum Spiritus dedit illis eloqui. Quid autem loqebantur Apostoli? Aut ut rectius dicam: Quid per Apostolos loqebatur Spiritus Sanctus? Glorificandus erat DEI Filius; Qvicqvid itaqve agebat Spiritus S., qvicqvid loqebatur, illud omne tendebat in glorificationem Filii. Spiritus Sanctus, modo hac tenus inaudito, veniebat super Apostolos Domini. Flebat subito à Cœlo sanctus sicut vehementer lati venti, implebatqve totam domum ubi erant

erant sedentes. Videbantur Apostolis divisæ lingvæ quasi ignis, se-  
debatque Spiritus super unumquemque eorum. An vero hæc in suis  
convertebat glorificationem Sanctissimus Spiritus? Audiamus quid  
per os Petri ipse respondeat Spiritus Act. II. 33. *JESUS dextra DEI*  
*exaltatus, promissionemq; Sancti Spiritus consecutus à Patre, effudit*  
*nunc quod vos videtis & auditis.* O magnum pletatis mysterium!  
*JESUS dextra DEI exaltatus, DEUS & homo in una persona, ef-*  
*fudit Spiritum S, qui summus natura Deus est, quiq; operatur omnia in*  
*omnibus, libere & independenter, distribuens seorsim unicuiq; sicut vult.*  
1. Cor. XII. 6. 11. Cœcus omnino esset, qui non animadverteret, hoc  
in summam FILIO DEI cedere gloriam. Et hoc Spiritus S. nequaquam  
dissimulat, sed aperte profiteatur; Vult etenim ut universo  
mundo innotescat, se sua accepisse & in omnem æternitatem acci-  
pere à Filio non minus quam à Patre. Hinc Filius promissionem  
Sancti Spiritus consecutus dicitur à Patre. Omnia quippe quæ Pater  
habet, & in quibus à Filio non distinguitur, illa quoque habet Filius;  
Et quod consecutus est à Patre illud etiam effudit, Spiritum nimirum S.;  
Manifestissimo indicio, Spiritum Sanctum æque à Filio ac Patre pro-  
cedere. Consequeventer, Filii & Patris una eademque est gloria atq;  
Majestas vere divina æterna & infinita. Minime tamen sola hæc pro-  
cessionis manifestatione absolvitur Filii glorificatio, quam omni nisu  
intendit Spiritus S.; Sed quæ Filii DEI in genus quoque humanum  
extant merita, revelanda & annuncianda erant per totum terrarum  
orbem. Hinc quamprimum Petrus ὁ μέγας πέμψατο ἀγίος Φε.  
ρόμενος suam contra iniqvas malevolentium censuras, quibus multo  
omnia adscribebant, apologiam absolverat, totus est in eo, ut pluribus  
recenseat, quæ intensissimum Filii DEI erga milerrimos pecca-  
tores amorem indicare poterant. Viri, inquit, Israëlitæ audite  
verba hæc: *JESUM Nazarenum, Virum à DEO demonstratum in-*  
*ter vos virtutibus & miraculis, & signis, quæ fecit per ipsum*  
*DEUS in medio Vestri, sicut & ipsi nostis.* Hunc definito consilio  
& præscientia DEI deditum, accipientes per manum iniquorum,  
crucifigentes interfecisti: Quem vero DEUS resuscitavit, solvens  
dolores mortis, quemadmodum non erat possibile, teneri ipsum  
ab illa; David enim dicit de ipso, *Proposui Dominum coram me*

perpetuo, quia ex dextris meis, ut non commovear. Propter  
hoc latatum est cor meum, & exultavit lingua mea; amplius ve-  
ro etiam caro mea habitabit sub spe Quia non derelinques animam  
meam in inferno, nec dasibi Sanctum Tuum videre corruptionem. No-  
tam fecisti mihi viam vita, implebis me latitia cum facie Tua.  
Viri fratres, licet loqui cum libertate loquendi ad vos de Pa-  
triarcha Davide, quod & mortuus & sepultus sit, & monumen-  
tum ejus est inter nos usque ad diem hunc. Prophetæ itaque cum  
esset & sciret, quod juramento jurasset ipsi Deus, ex fructu lumbi  
ipsius, quod ad carnem, surrecturum Christum, ut sederet super  
throne ipsius. Prævidens locutus est de resurrectione Christi, quod  
non derelinquenda esset anima Ipsi in inferno, neque caro Ipsi  
visura corruptionem. Hunc ergo Jesum resuscitavit Deus, cuius  
omnes nos sumus testes. Certo igitur cognoscito omni domus Isra-  
el, quod & Dominum & Christum ipsum Deus fecerit, hunc  
Jesum quem vos crucifixistis. Totius hujus concionis Petri-  
na, quæ Spiritum Sanctum habuit Autorem, unicus fuit sco-  
pus, ut Filius Dei glorificaretur, ut tanquam Christus S. Mel-  
isas agnosceretur. Principes hujus seculi & populus judai-  
cus sedens in tenebris & umbra lethifera, non agnoscebat Do-  
minum gloriae; Gloriam itaque Filii Dei, quam habuerat a  
pud Deum Patrem, anteqvam hic mundus esset, Joh. XVII. 5.  
clarum & illustrem reddere intendebat Spiritus S. toti mundo,  
hinc inspirabat Petro & reliquis Apostolis omnia & singula quæ  
prædicanda erant de ejus persona, officio & beneficiis plane di-  
vinis. Cumqve doctrina de Christo crucifixo judæis esset  
scandalo, à Gentilibus vero pro stultitia haberetur; ne quicqvam  
obstaret Filii DEI glorificationi, ipse Spiritus Sanctus auditorum  
aperiebat corda, ut attenderent dictis ab Apostolis, Act. XVI.  
14. & suam in obsequium Christi captivitarent rationem. 2. Cor.  
III. 6. Auditores Petri cum Ipsi audivissent concionem  
mox corde cumpuncti ad Petrum reliqvosque dixerunt Aposto-  
los: Quid faciemus, Viri fratres? Qibus omnium nominis  
Petrus id dedit responsi: Pœnitentiam agite & baptizator quilibet  
vestrum super Nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum,  
et nos

in accipietis donum Sancti Spiritus. Vesta enim est promissio & liberorum vestrorum & omnium, qui procul, quotquot advocaturus est Dominus DEUS noster. Act II. 37. 38. Perpendite hæc Vobiscum curatius, Cives Optimi, & discite, quomodo sanctum hocce transigendum sit Festum Pentecostale. Ipse suo Vobis præivit exemplo, qui Patris & Filii dicitur Spiritus. Idem in hunc usque diem occupatissimus est, ut Jesum Nazarenum Filium illum Dei & Mariae Virginis glorificet. Ne quæso permittatis, ut penes Vos vilescat mysterium illud de Christo, ex quo multifaria elucescit DEI sapientia, & in quod introspicere desiderant Angeli Eph. III. 10. 1. Petr. I. 12. Suo indulgent genio, quibus sanctissimæ Religiois nostræ dogmata nulli sunt curæ; Videbunt etenim in extremo judicii die cum tremore & angore, severissimum judicem, quem hic prædicatum agnoscere recusatunt Jesum Christum. Paratus est, ut Vesta aperiat corda Sanctissimus Dei Spiritus, mittit in hunc usque diem suos Apostolos & Legatos, qui Verbum Evangelii Vobis annunciant. Durante hoc Feste Pentecostali per tres integros dies à primo mane usque ad seram vesperam audientur voces fidelium Jesu Christi servorum, qui, donis Spiritus Sancti variis instructi, nunquam cessant glorificare Dei Filium. Ad vos quoque pertinere promissionem de Nomine Domini nostri Jesu Christi, quod per illud æternâ hominibus destinata sit salus; sonora clamitant voce. O utinam vestra æque compungerentur corda, quemadmodum compungebantur Auditorum Petri! Si ulla penes Vos sanctissimi Spiritus est reverentia; Si minima Vos tangit animarum Vestiarum sollicitudo, venietis ad minimum & aulcubabilitis verbo, quod Christum pro Vobis in mortem traditum & Vestrae salutis ergo resuscitatum annunciat. Nolite novum expectare evangelium, non enim aliud revelabitur unquam, quam quod hactenus audivistis, quodque Christum Filium Dei glorificat. Si Angelus ex cælis veniens Evangelizaret Vobis, praeter id quod Evangelizavimus Vobis, anathema sit. Gal. I. 8 Obsequimini Spiritui Sancto, qui ordinem salutis æternæ adipiscendæ claris & perspicuis Vobis revelavit verbis in Concione Petri

Pente-

Pentecostali. Pænitentiam agite. Nostis abunde ex informa-  
tione Præceptorum Vestrorum , qvod Evangelium de Christo nul-  
lam nobis indulget peccandi licentiam. Potius apparuit salu-  
taris DEI gratia omnibus hominibus, erudiens nos , ne abnegemus  
inpietatem & mundanas concupiscentias. ac sobrie & juste & pie  
vivamus in presenti seculo. Expectantes beatam spem & ap-  
paritionem gloria magni DEI & Salvatoris nostri JESU Christi.  
Qui dedit le ipsum pro nobis, ut liberaret nos ab omni iniquita-  
te & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, amulum bonorum operum.  
Hæc proferenda & eloquenda nobis magno cum verborum pondere  
commissa sunt in Ep. ad Tit H. 11. sq. Obtestamur itaque Vos per  
nomen DOMINI nostri JESU Christi, per gloriam , quam Pater de-  
dit Filio suo ab omni æternitate , quamque Spiritus Sanctus no-  
bis omnibus ad æternam animatum nostrarum revelavit salutem,  
seqvimini exemplum Spiritus Sancti , & Filium DEI hoc Festo  
Pentecostali & omnibus vitæ vestre diebus , ex omnibus glorifi-  
cate viribus. Sic templum eritis Spiritus Sancti & hic per du-  
bios hujus seculi anfractus Vos in æternam Filii DEI intro-  
ducturus erit gloriam. Qvod ut fiat animitus  
precamur.,

*P. P. Sub Sigillo Universit. Rostoch.  
ipsa primi Pentecostes die XXXI.  
Maji, Anno MDCCXVI.*

( ) ( ) ( )





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1003520421/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003520421/phys_0012)

**DFG**

cum accipietis donum Sancti Spiritus. Vestra enim est pro  
 liberorum vestrorum & omnium, qui procul, quotquot ad  
 est Dominus DEUS noster. Act II. 37. 38. Perpendite ha  
 biscum curatius, Cives Optimi, & discite, quomodo sa  
 hocce transigendum sit Festum Pentecostale. Ipse suo Vob  
 ivit exemplo, qui Patris & Filii dicitur Spiritus. Idem i  
 usque diem occupatissimus est, ut Jesum Nazarenum Fili  
 lum Dei & Mariæ Virginis glorificet. Ne quæso perm  
 ut penes Vos vilescat mysterium illud de Christo, ex qua  
 tifaria elucescit DEI sapientia, & in quod introspicere o  
 rant Angeli Eph. III. 10. 1. Petr. I. 12. Suo indulgeant g  
 quibus sanctissimæ Religiois nostræ dogmata nulli sunt  
 Videbunt etenim in extremo judicii die cum tremore &  
 re, severissimum judicem, quem hic prædicatum agno  
 recusatunt Jesum Christum. Paratus est, ut Vestra aperia  
 da Sanctissimus Dei Spiritus, mittit in hunc usque diem  
 Apostolos & Legatos, qui Verbum Evangelii Vobis annun  
 Durante hoc Festo Pentecostali per tres integros dies à prim  
 ne usque ad seram vesperam audientur voces fidelium Jesu  
 sti servorum, qui, donis Spiritus Sancti variis instruti,  
 quam cessant glorificare Dei Filium. Ad vos quoque pe  
 re promissionem de Nomine Domini nostri Jesu Christi,  
 per illud æterna hominibus destinata sit salus; sonora clan  
 voe. O utinam vestra æque compungerentur corda, que  
 modum compungebantur Auditorum Petri! Si ulla pene  
 sanctissimi Spiritus est reverentia; Si minima Vos tangit ar  
 rum Vestrarum sollicitudo, venietis ad minimum & aulcu  
 tis verbo, quod Christum pro Vobis in mortem traditum &  
 stræ salutis ergo resuscitatum annunciat. Nolite novum  
 etare evangelium, non enim aliud revelabitur unquam,  
 quod hactenus audivistis, quodque Christum Filium Dei gl  
 cat. Si Angelus ex cœlis veniens Evangelizaret Vobis.  
 ter id quod Evangelizavimus Vobis, anathema sit. Gal. I. 8  
 seqvimini Spiritui Sancto, qui ordinem salutis æternæ adip  
 ðe claris & perspicuis Vobis revelavit verbis in Concione

